



**C**onradus ex illustri familia dominorū Rock  
 Spoletinorum natus fuit. Ea familia sub Con-  
 rado secūdo Imperatore anno Christi circiter mil-  
 lesimo tricesimo ex Italia in Germaniam uenerat.  
 Erant enim duo fratres Spoletini duces, qui suae  
 gentis originem ad Vrsinos principes Romanos  
 referebāt. Hi cum Cæsareanarum partium essent,  
 ab aduersarijs Romanis, sua ditione pulsī, in Ger-  
 maniā sese receperunt. Horum unus in sylua Her-  
 cīnia arcem Vrslingensem inhabitauit, atque po-  
 stea oppidum Schiltach condidit. Alter uero ad  
 Allatas se conferens, in loco amoenissimo arcem  
 Rapoltstein cum oppido ædificauit, atq; circum-

iacētem ditionem fauore Cæsaris feudi nomine obtinuit. Ex ea ergo antiqua  
 principum familia, qui priori principum Spoletinorum titulo relicto sese do-  
 minos Rapoltsteinios uocarūt, Conradus natus, & in omni genere uirtutum  
 educatus fuit. Itaque cum magna animi & corporis fortitudine esset prædi-  
 tus, Conradi tertij Cæsaris castra secutus est, atque magnam sui nominis æsti-  
 mationem obtinuit.